

doctrinam inuehere moliebantur, à quibus omnibus vos mira felicitate, incredibiliq; bonitate sua Dominus liberavit. Nec enim potestis non meminisse, aut unquam vos posterique vestri obliuisci possunt, quemadmodum post receptum purum illud Dei verbum (quo certè tempore desistis Post tenebras sperare lucem, sed lucem illam caelestem & optatissimam vidistis) anno Domini M. D. XXXVI. per Anabaptistas genus hominum obstinatissimum, & primùm ferè in omnibus reformatis Ecclesiis bono semini adnascens lolium, Satan vos oppugnarit. Verùm hi post disputationem de eorum doctrina publicè habitam erroris damnati, pulsique vrbe, nunquam postea in hac ciuitate nidulari, aut vestram Ecclesiam tentare sunt ausi. Successit deinde annus Domini M. D. XLI. quo demum iustam aliquam Ecclesiasticæ disciplinae formam delineastis, quæ aliquot post annis perfectior atque auctior facta, magno tandem omnium huius ciuitatis ordinum consensu comprobata est. Hoc eodem anno per Sebastianum illum Castellionem fictæ pietatis hominem Satan vos fidemque vestram impellere, & leui primùm, ut videbatur, ictu, sed periculosissimo quaterere voluit: quo tamen malo & occulto veneno ciuitas vestra anno XLV, homine ipso tanquam spuma ex

Domini M. D. XLV. homine ipso tanquam spuma ex